



Introitus.



Um primùm in Galliis discursus de Hugonotis audirentur, sibi quidam imaginabantur, illos ingentia monstra, aut minimùm tales homines esse oportere, qui in nullo honesto conventu invenire locum mererentur. Cùm autem fortè in quadam congregatione accideret, ut quendam viderent, de quo dicebatur Hugonotum esse, summopere admirabantur ajebantque illum tamen hominem ut cæteros, ejusque conversationem non averfandam sed tolerabilem esse.

2. Hodierno tempore Cartesiana Philosophia in multorum Ore auditur, quidamque putant illam mirabilem hæresin esse debere, quæ nuperrimè in Mundum irrepsit, & quæ in Scholis nec tolerari possit nec debeat. Nam & inter Theologos reperiuntur, qui Politicorum Regulâ potiùs utuntur, quòd ne decipiamur, pessima semper cogitanda sint; quam ut charitatis opera exercerent, quæ suspicax non est, sed omnia quantum fieri potest in optimam partem interpretatur. Et quia vul-

A

gus